

era hujus diei lectione non hujus sæculi prudentibus & sapientibus, sed parvulis a Domino revelari dicitur: quorum de numero beatissimus hic parvulus exstitit.

S. II.

Quia igitur caritas hujus divinæ sapientiæ vita & forma, atque, ut ita dixerim, magistra est; ideo de flagrantissima sancti hujus patris caritate in reliqua concionis parte dicendum est, quo vos ad virtutis hujus amorem, in qua divinæ legis summa consistit, accendere valeam.

Caritatem autem viri sancti quis enarrare sufficiat? Usque adeo enim purissima ejus voluntas per excellentissimum caritatis habitum, quem Spiritus sanctus in ejus corde effuderat, in Dei amorem propensa atque incensa erat, ut ad solam dilecti vocem mirò modo excitaretur, afficeretur & inflammaretur, quasi pleetro vocis æternæ, chorda mentis interior tangeretur. Quum autem, ut D. Dionysius ait, amoris proprium sit, amantem cum re amata indissolubili vinculo copulare; ideo viri sancti anima sic cum dilecto suo colligata erat, ut vix umquam ab ejus

(a) Cant. 1. 12.

conspetu atque suavissima præsentia mentis oculos deflesteret, & interdum etiam non posset. Itaque illud Sponsæ usurpare merito poterat: (a) *fasciculus myrrha dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur*. Quia vero ut ignis lignorum appositione, ita caritas piis cogitationibus augetur; ideo vir sanctus ex mundi hujus visibilis, & omnium creaturarum contemplatione in dilecti amorem incendebatur, & ex omnibus scalam sibi quodam modo erexerat, qua in Deum ascenderet.

Quis autem hujus ignis scintillas, hoc est, caritatis hujus effectus, enarrare valeat? Hujus enim caritatis erat, flagrantissimum illud Deum laudandi desiderium, quo Davidis exemplo animantia ipsa, atque adeo creaturas omnes, ad divinas laudes invitabat: ut videlicet communem Dominum communi omnium creaturarum voce magnificaret. Caritatis erat, erga oves & agnos miramens dulcedo, hoc solo nomine, quod dilecti sui similitudinem quamdam & nomen præferrent. Itaque redemit frequenter agnos, qui ducebantur ad mortem; mitissimi illius agni

gni memor, qui pro peccatoribus redimendis ad occisionem duci voluit. Ut enim pantheram ajunt tanto hominum odio incensam esse, ut in simulacrum etiam hominis insiliat, atque illud discerpit: ita contra vir beatus tanto Christi amore æstuabat, ut vel tenuem illam ejus imaginem, quæ in hisce animantibus elucebat, hac amoris dulcedine prosequeretur.

Caritatis etiam erat ardentissima illa erga sacram eucharistiam devotio, in qua dilecti sui corpus esse sciebat, in cujus contemplatione mens ejus deficiebat, incredibili quodam omnium medullarum affectu, mentisque stupore summam illam Domini sui bonitatem, caritatem & dignationem admirans, qua se hominibus hoc modo tradere, & cum illis in hoc exilio habitare dignatus est. Porro autem in sacra communione, quam sæpius frequentabat, tanta suavitatis dulcedine complebatur, ut quasi spiritu ebrius in mentis plerumque raperetur excessum. Quo indicio intelligere licet, quanta esset illa divinæ suavitatis dulcedo, quæ omnes ad se animæ vires sic attraheret, ut nul-

lam prorsus sentiendi vim corporis sensibus relinqueret.

Caritatis item erat, quod creaturas, etiam rationis expertes, quod ab eo, quem summe diligebat, conditæ essent, sancta quadam simplicitate fratres & sorores appellabat. Qui autem hoc affectu erga rationis expertes creaturas erat, quo animo erga eas, quæ sunt ejus imagine insignitæ, & pretioso sanguine redemptæ, fuisse putandus est? Hoc plane nulla vis orationis explicare poterit. Hac autem de causa beatissimum Michaëlem archangelum singulari devotionis affectu venerabatur, ejusque diem festum quadraginta dierum jejunio præveniebat, quod videlicet ejus curæ salus animarum credita esset. Ceterum si quis pravus consiliis aut exemplis, scandalo aut offendiculo infirmis esset, bone Deus, quo doloris aculeo sauciabatur! quos æstus animi sustinebat! Eundem enim cum Paulo spiritum nactus, vere dicere poterat: (a) *quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror?* Doloris itaque impatiens ad Dominum clamabat: a te, Domine, sanctissimo, & a tora

(a) 2. Corinth. 11. 29.

caelesti curia, & a me parvulo tuo sint maledicti, qui pravis exemplis atque consiliis bonos aliorum mores corrumpunt. Itaque tanta saepe ob pusillorum scandalum afficiebatur molestia, ut deficere sibi praecordis amaritudine videretur, nisi fuisset divinae consolationis virtute roboratus.

Jam vero evangelica illa paupertas, quam vir sanctus tantopere adamavit, quamque rebus omnibus antetulit, unde, quæso, nisi ab hac ardentissima in Christum caritate, manavit? Caritatis enim est, vehementer ab eo velle redamari, quem vehementer amet. Quum autem similitudo sit amoris conciliatrix, hinc amans amato quam simillimus fieri optat. Quum igitur vir sanctus Christum Dominum, quem tam ardentem amabat, adeo pauperem & in vita & in morte cerneret, tota animi contentione ad ejusdem paupertatis communionem adspirabat, beatissimum se fore ratus, si cum paupere Christo pauper esset, si cum nudo nudus, si cum esuriente esuriret, & cum argente algeret. Denique ut omnibus in rebus Christo pauperi conformis esset,

moriturus se nudum e strato in terram projecit: quodque mirabilius est, præcepit fratribus, ut posteaquam animam efflasset, aliquanto spatio nudus & inhumatus relinqueretur, ut hac ratione pendentis in cruce Domini nuditatem imitaretur, qui & ante mortem & post mortem nudus in cruce pependit.

Ad mentem vero saepe piissimo cordis affectu illa Domini verba revocabat: (a) *vulpes foveas habent, ubi caput suum reclinent*: & illud item Apostoli: (b) *scitis gratiam Domini nostri Jesu-Christi, qui, quum dives esset, pro nobis egenus factus est, ut illius inopia vos ditaremini*. Nulla autem ratione vir sanctus ferre poterat, se in delitiis vitam agere, quum dilectissimum Dominum, ipsius gratia, paupertatis molestias & incommoda perferentem cerneret. Quis autem castissimæ sponsæ persuadere valeat, ut in delitiis vitam agat, si dilectissimus ejus sponsus dira captivitate atque inopia inter barbaros & immanes hostes prematur? Quum igitur beatus pater Franciscus dilectissimum Dominum in stabulo nascentem, & præsepi cubantem, & in

(a) *Matth. 8. 20. & Luc. 9. 58.* (b) *2. Corinth. 8. 9.*

in cruce nudum morientem, & in vita elemosynis piarum feminarum victitantem, sanctissimamque ejus matrem eadem inopia laborantem, utpote quæ agnum non haberet, quem in purificatione sua offerret; quum hæc, inquam, omnia tenerrimo cordis affectu contempleretur, nihil prius habuit, quam ut hanc eandem paupertatem, tamquam regis æterni sponsam, ac totius vitæ sociam, toto animi studio amplecteretur, seque tanto feliciorerem crederet, quanto se illis similiorem videret. Quamvis autem vir sanctus multiplices virtutis hujus fructus agnosceret, quibus in ejus amorem rapiiebatur; hæc tamen Christi similitudo sancti viri mentem ad hujus virtutis amorem multo magis inflammabat.

Denique tanto hujus virtutis amore flagravit, ut novum in ecclesia ordinem instituere decreverit, cujus præcipuum fundamentum, paupertatis humilitas esset. Quæ res adeo per id temporis a sæculi sapientibus, tamquam impossibilis, improbata est, ut quum beatus pater Innocentium pontificem maximum adisset, ut ab eo hujus novi instituti confirmationem impetraret, ab eo

non sine indignatione fuerit repulsus, quod rem peteret, quæ stare diu atque durare minime posset. At vir sanctus, fiducia in Deum plenus, alio die pontificem divino jam miraculo præmonitum adiit, idemque quod antea postulavit, adjiciens, nequaquam evangelicæ paupertatis professoribus victum aliquando defuturum. Quam rem, a Deo doctus, elegantissima hac parabola confirmavit: rex, ait, quidam potentissimus pauperulam atque formosam feminam sibi desponsavit, ex qua liberos suscepit. Quumque ii patris imaginem præ se ferrent, jussit eos rex e mensa sua regio cibo tamquam legitimam sobolem sustentari. Sic ergo quum cælorum rex paupertatem sibi, quamdiu in hoc mundo vixit, indissolubili amoris vinculo desponsaverit, paupertatis autem hujus filii atque cultores regis hujus imaginem præ se ferant; non dubium, quin eos rex tamquam legitimam sobolem, sibi que similem, agnoscens, e divite ipsius mensa, quæ latissima est, cibum illis ministrari præcipiat. Non est igitur formidandum, ne fame pereant regis æterni filii, qui ad imaginem regis Christi per Spi-

Spiritus sancti virtutem de paupere matre nati, per spiritum paupertatis sunt in religione pauperula generandi. Qua quidem parabola proposita vehementer pontifex in pauperculo & illitterato homine tantam sapientiam demiratus, simulque divino jam oraculo permotus, paupertatis regulam, quam pius pater postulaverat, approbavit.

Nec sanctum virum spes sua fefellit. Tantum enim absuit, ut a se institutus ordo inopia cogente defecerit, ut ob hoc ipsum supra omnes alios ordines auctus ac dilatatus fuerit. Exiguus namque expensis monasterium humile exstruitur: quo exstructo, facile monachi sine ullis redditibus, quæ sunt ad pauperem ac tenuem vitam necessaria, sibi comparant. Hinc factum est, ut unicus beatissimi patris ordo plura fortasse intra se cœnobia, quam reliqui omnes omnium aliorum ordinum, contineat. In quo etiam opere Dei providentia mirabiliter elucet, qui quum præcipuus hujus instituti auctor fuerit, eam mentem cunctis mortalibus immisit, ut audito nomine Francisci, naviculatores, pisces, stabularii, publicani, atque omne po-

stremum genus hominum, stipem cunctis ejus sectatoribus porrigant, nullumque ab eis vestigialis aut tributi genus exigant. Quodque mirabilis est, illa etiam immanis Turcarum natio non modo nihil ab illis, quemadmodum ab aliis fidelibus, tributorum exigit, sed stipem etiam & eleemosynam petentibus præbet. Quod ego plane quoddam miraculi genus a divinæ providentiæ cura profectum esse non dubito.

Nec minus miror, eundem paupertatis spiritum & amorem, qui in beato patre præfuit, ad ejus quoque filios permanasse. Quum enim omnes omnium ordinum homines, qui in toto orbe versantur, omnino studio aurum quærant, aurum sitiant, ac pane adorent, paupertatemque per saxa, per ignes fugiant; plurimos in hoc sanctissimo ordine viros ac feminas reperire licet, qui contra omnium mortalium vota ac desideria majori studio paupertatem, quam illi divitias, quærant. Quis igitur non aperte videat, hunc spiritum atque animum non a carnis natura, quæ sua ubique commoda captat, sed a cælesti gratia proficisci?

§. III.

§. III.

Video, me, fratres, paulo diutius in paupertatis commendatione fuisse immoratum, quam ab eximia sanctissimi patris in Christum caritate profectam fuisse diximus. Nunc majora adhuc caritatis ejus indicia proferamus. Constat, multos esse in caritate gradus, qui a sanctis patribus numerantur: inter quos postremus, Deoque gratissimus est, quum vir pius tanto Dei amore flagrat, ut nihil magis in votis habeat, quam varias propter ejus amorem calamitates & labores acri animo perpeti. Quod ut excellentissimum caritatis opus, ita maximum ejus indicium est. Hoc enim desiderium non a carnis natura, quæ omni semper molestia vacare cupit, sed a cælesti Spiritu proficisci, maximum indicium & argumentum est. Quocirca, fratres, quicumque toto studio ad divinam gratiam adspiratis, numquam opera vestra conquiescant, donec aliquam intra vos hujus desiderii scintillam sentiatis.

Ceterum quum inter omnia, quæ nobis in vita cara sint, vita ipsa sit longe carissima; summum caritatis opus est, hanc

ipsam propter majorem in Deum caritatem velle profunderi; quum præsertim Salvator dicat: (a) *majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Hoc autem desiderium adeo in beato Francisco flagravat, ut semel & iterum & tertio ad infidelium terras proficisci tentaverit, ut hac desiderata martyrii corona frueretur. Nec enim ejus animus ullo modo conquiescere poterat, nisi vitam & sanguinem pro ejus amore funderet, qui pro se prius vitam & sanguinem fudit. Sexto namque conversionis suæ anno in Syriam, Saracenis prædicaturus, navigavit. Ventis autem resistentibus in Sclavoniæ portum appellere compulsus est. Hoc igitur desiderio eo tempore fraudatus, & siti hac vehementer ejus animum extimulante, ad Marrochium, Mauritaniæ urbem, iter artipuit, ut Miramolino & genti ejus Christi evangelium prædicaret; si qua fieri posset, ut ad desideratam martyrii palmam perveniret. Tanto namque ejus desiderio æstuabat, ut quamvis imbecillo esset corpore, peregrinationis suæ præ-

cur-

(a) Joan. 15. 13.

curreret comitem, & velut spiritu ebrius in eo itinere festinaret. Sed quum jam in Hispaniam venisset, divina dispensatione, quæ ipsum ad alia reservaverat, gravissimo morbo correptus, quod optabat, implere non poterat.

Verum caritatis ardore ejus mentem ad martyrium acerrime perurgente, iterum ad infideles ire destinavit. Tertio decimo namque conversionis suæ anno in Syriam profectus, multis se periculis constantissime exposuit, ut Christi evangelium Soldano, Babylonis regi, ac populo ejus annuntiaret. Quo tempore adeo implacabile bellum inter fideles & Babylonios intercedebat, ut Soldanus christianos omnes, ubicumque reperti essent, interfici juberet, & pro oblato occisi christiani capite aureum nummum polliceretur. Quum igitur beatus pater & socius in satellitum regis manus incidissent, multis ab eis, tamquam agni a lupis, verberibus & injuriis crudelissime affecti, ac postremo vinculis adstricti, ad Soldanum, quod sanctus pater cupiebat, adducuntur. Quum is igitur ab illis quæreret, a quo in regnum suum missi es-

sent, & quid in eo moliri vellet; intrepidus Dei servus respondit, se non ab homine, sed a Deo missum fuisse, ut ei & ejus populo viam salutis ostenderet, & veritatis evangelium prædicaret. Tanta vero animi constantia, tantoque spiritus fervore coram eo de vera pietate, deque dominicæ incarnationis mysterio disseruit, ut aperte constaret, verum esse, quod Salvator dixit: (a) *ego dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes adversarii vestri.*

Nam & Soldanus, admirandum in viro Dei spiritus fervorem & virtutem animadvertens, libenter ipsum audiebat, & ad moram contrahendam cum eo instantius invitabat. Christi vero servus, superno illustratus miraculo: si vis, inquit, ad Christum cum populo tuo converti, libenter tecum ob illius amorem commorabor: si vero de christianæ fidei veritate dubitas, legemque tuam veriore arbitraris, præcipe ignem quam maximum accendi, & ego cum sacerdotibus tuis ignem ingrediar, & quibus ignis ardor pepercerit, horum fidem sinceram & immaculatam esse fatearis. At ille: non,

in-

(a) *Luc. 21. 15.*

inquit, arbitror, ex sacerdotibus meis quemquam periculum hoc esse facturum. Ad quem vir sanctus: si promiseris, te ac populum tuum ad Christi Domini mei cultum traducturum, si ignem illæsus intravero & exiero; ego solus ingrediar: quod si combustus fuero, peccatis meis imputetur; si autem illæsus exiero, christianorum fidem veram esse cognosce. Soldanus autem hanc se optionem accipere non audere respondit, quod populi seditionem formidaret. Obtulit tamen multa munera, magnaque vi precum instabat, ut si non sibi, aliis saltem ea præbiturus acciperet: quæ tamen omnia vir sanctus, non terrenarum rerum, sed salutis animarum avidus, quasi lutum sprevit. Sic igitur Dei dispensante clementia factum est, ut Christi amator mortem pro ipso totis viribus exquireret, nec tamen inveniret; ut & merito non careret optati martyrii, & pro eo in posterum servaretur, sacrorum stigmatum singulari privilegio decorandus. O vere beatum virum, cujus etsi caro tyranni ferro non cæditur, occisi tamen agni similitudine non privatur! o, inquam, vere ac plane beatum, cujus ani-

mam etsi gladius persecutoris non abstulit, palmam tamen martyrii non amisit!

His argumentis, fratres, quanta beatissimi hujus patris erga Christum caritas fuerit, satis aperte colligitur. Reliquum est, ut videamus, quantum a Christo dilectus fuerit, qui tantopere Christum dilexit. Hoc plane ex bonorum omnium communione conjicere licet, quum veræ amicitie proprium sit, & se & sua omnia cum amico communicare. Hoc autem primum illi quidem Dominus præstitit, quum omnis generis morbos, & omnia item animantia, illius imperio subjecit: qua de re suo loco dicemus. Hoc autem quid aliud erat, quam viro sancto, quod divinitatis proprium erat, tribuere? Creatoris enim est, ut creaturæ omnes ipsi ad nutum obediant, quod videmus huic viro sancto fuisse concessum. Ceterum quum amicorum omnia sint communia; nec enim perfectæ amicitie lex patitur, ut amicus ab amico quidquam velit habere sejunctum: ea inter Christum & virum sanctum amicitie fides existit, ut post hoc singulare imperium, novam aliam gloriam & honorem,

